

tuosos, multitudinemque omnem illorum : non assumant cibum, antequam dormiant modicum, aut saltem in lecto quiescant, & exprimant flatum, velut ex esu anisorum, aut coriandrorum. Et scias quod sunt tres ordines harum exercitationum, vna est non studiosa prorsus, & de hac intellexere veteres, alia in qua adhibetur studium, sed sine timore, vt canere, aut tibias, vel cornu inflare, & hæc non est aded bona, vt præcedens. Tertia est deterior omnibus, vt profiteri, concionari, sed hoc fit maiore voce, & minore cogitatione, ided magis nocet capiti, & plus iuuat ventriculum, cum etiam aliqui sudore proluantur, profiteri autem maximè inexperto, & non multum perito, & tamen gloriam non negligenti, hoc plurimum obest ventriculo, & parum iuuat caput, qua enim parte, confert ob studium, eadè nocet ob vocem altiorem, & ided sensus accliuuium confert magis ventriculo his, sed sonus recludit spiritum, vox autem efflat magis, & cū utroque laborent muscoli intercostales, & ided pectus incalescat, tamen sonus magis calefacit interiora, propter contentionem spiritus, & magis nocet herniæ & plus iuuat ventriculum, quàm vox: contra, vox magis expurgat pulmonem, & cor dilatat, & melancholiam dispergit, & ructui acido confert, & est proximior exercitationi. Neutrum tamen conuenit tabificis, aut anhelosis, nisi his qui cum pectus habeant amplum, occasione tamen externa aut ob defluxionem à capite, his morbis laborant. In hisque semper est obseruandum, an curari queant, plerunque enim euenit, vt auxilia salutaria, & ratione excogitata, cum morbus est insanabilis adhibita deteriore patientis conditione efficiant, & mortem accelerent. Oportet autem eos, qui vocem exercere volunt, vt caueant, vel à nimia attractione spiritus, vel ex sufflatione, aut nimis longa, vt dixit Princeps, sed non docuit causam. Vox etiam tam acuta, quàm grauis, valde periculum affert fracturæ venæ, sed grauis affert maiorem vtilitatem ad calefaciendum corpus: In summa, vox diu protracta, & non magna, nec vehemens omnibus mala est, & nullam vtilitatem affert, vehemens in robustis, & quibus caput est robustum, & concitata sic, vt corpus incalescat, oclusis auribus bona est. Si aures non claudantur, præter id quod cerebrum debilitat, sibillum in auribus gignit: imbecillibus toto corpore, vt senibus aut pectore, aut capite, nulla vocis longa exercitatio, vt in profitentibus, & concionantibus, nec vehemens, nec remissa admitti debet: quoniam non sine magno detrimento, si perseverare contendat, esse potest, deterior tamen longa, non vehemens, vehementi breui, & quoniam detrimentum est in inspiratione, qua ventriculus, & intestina flatu replentur, non autem in expiratione, ided exspiratio vehemens esse debet, & vox sonora, inspiratio sensim longa, & leuis, & hoc est etiam valde commodum discipulis, qui dictata notis excipiunt, & profitentibus ad cogitandum, licet non aded venustum. Venustissimum, cum frequenti auditorio plures scribunt, ita profitebatur Andreas Alciatus Iuris consul-

tus, nescio an ob audientiam solum, an ab aliquo medico etiam edoctus, causam hanc. Sed si nullus dictata notis excipiat, absurdus, & inuenustus redditur huiusmodi profitendi modus. Verum nisi omninò contemptibilis sit professor, non defuturi sunt subscriptores, inuitante ad id munus, profitendi commodo.

Andreas Alciatus Iurisconsultus.

CAPVT XXI.

De frictionum viribus iuxta earum species.

Fricatio media est, inter exercitationem, ac omnimodam quietem, cumque dixerit Hippocrates in sexto Epidemiorum: Fricationem, circuitum multum, & famem, esse febriculosis inimica, scilicet quod exinaniant vires, corpus calefaciant, & siccent, quæ omnia etiam facit febris, ided naturam frictionis ex hoc generaliter intelligimus, non tamen occidit vt lucta, cursus, & fatus, qui vehementer excalefaciunt, & resoluunt valde vires. Cursum autem si perseveret, inter lethalia detrimenta connumerant, breuis si sit, vt semel, & exiguo spatio, quod nos vidimus aliquando præ ira, vel delirio, ægris accidisse. lædit vt frictio. Quantum autem frictio possit, hoc experimento discas, licet quod vel modicè deducta celerius super corporis quamvis partem manu, aded vt pars illa vratur, vbi enim propè summum accesseris, tunc modica intentio multum variat effectum, qui ex ea sequitur, nam si cum hoc compresseris vehementius, vix redditam, & reductam manum, vel semel sustinebis: quantò minùs bis, aut ter, aut quater: con duplicantur enim hæc Geometricis, non autem æquaiibus, & Arithmeticis incrementis, Corpus autem nostrum frictio mouet extrinsecus adhibita, atque dum per eam calefiunt arteriæ, & venæ paulatim excitatur calor, & foras euocatur, fit linteolis, manibus, & quandoque oleo intinctis, atque quiescentibus membris, & modò vniuersim, modò singillatim, per partes: & quodcunque membrum volumus, idque duriter, molliter, parum, multum, medioque inter vtrumque horum modo. Et quoniam aliquando contingit, præ nimia, ac vehementi exercitatione, aliquam ex solidioribus partibus dirumpi, conuellive, aut excrementa à calore excitata, ac impetu acta, meatus ipsos obstruere, quod ne contingat, totum corpus emolliendum est, attenuanda extremita, & laxandi meatus, quod nihil melius præstare potest, quàm frictio, qua mediocriter totum corpus linteolo perfrictum, cutis concalescit, & simul obstructi aperiunt meatus, semper enim ex hoc intendimus, siue in longum, siue in obliquum, siue in orbem agantur manus, durandæ, molliendæ, augendæ, extenuandæ, aut medioeris inter hæc seruandæ carnis, propositum assequi: frictio enim mollis, laxas reddit partes, sicuti dura tensas, vim etenim habet frictio soluendi, ligandi, carnem augendi, ac minuendi, iuxta varium manum iniectum, ac circumactum, vt inquit Galenus

Fricatio media est inter exercitationem & omnimodam quietem.

Fricationis vires. Fricationis species.

Nota.

Vox & sonus quibus profitens & quibus obsens.

Nota.